



*Prefatio ad B. Lectorem.*



B Apostolorum temporibus reformationis opere majus in Ecclesia non extitisse opus, Sleidanus in præfatione suæ historiæ autor est. Dignissimum proinde, quod literarum monumentis ad posteritatem transmitteret, judicavit. Lapsu seculorum (nec enim simul & semel introducendo statim in limine impingere voluit *μυριετηχνητης* Diabolus) errores quàm plures in Ecclesiâ irrepserant, primatus Papalis tam in spiritualibus, quàm temporalibus apicem supremum attigerat, tenebris plus quàm Cimmeriis omnia circumfundebantur, nec erat, qui vel hiscere adversus ausus hosce auderet. Quòd si enim rariusculi comparebant, prominentes Anti-Christi aurículas emicùs adspicientes, & proinde doctrinæ repurgationem aliquam optantes, vivicomibus, aut aliis violentis mediis tollebantur. DEUS itaq; miserus Ecclesiæ suæ Megalandrum Lutherum, nihil minus cogitantem, Reformatorem misit, qui coronam Pontificis triplicem super cœlestia, terrestria, & infernalìa dejiceret & aqualiculos Monachorum, quæ fuerunt Erasmi de Luthero verba, satis animosè contrectaret. Miracula quidem à Luthero Pontificii requirunt, (quibus tamen non opus fuit, cum doctrina ipsius non fuerit nova, sed tantum renovata) sed num quid mirabile in oculis nostris, quòd Monachus hic imbellis, ab omni præsidio humano nudus, jovem Tarpejum, David Goliathum, vicerit? quòd

*VIR sine vi ferri, vi VERBI, & inermibus armis,*

*VIR sine re, sine spe, fregerit Orbis opes?*

Invitum Lutherum protractum fuisse in hanc arenam, adeoq; Θεόν π apparere in hoc opere, vel ex eo, cœlò, cum sudum est, clarius elucescit, quòd abusum tantum indulgentiarum

A 2

theisibus